

Pr. g. 2. num. 3.
1764
18

PRINCIPIVM PERFECTIONIS

AB
UTILITATIS SPECIE
VINDICAT
SIMVLQVE

ORATIONEM SOLEMNEM

MVNERIS PROFESSORIS IVRIS NATVRAE
ATQVE GENTIVM IN ACADEMIA VITEMBER
GENSI PVBLICI MVNIFICENTISSIME SIBI
DEMANDATI GRATIA.

DIE V. IVNI CCCCCCLXIV

HABENDAM

INDICIT

JOANNES AEGIDIUS STRAVCH
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORDIN.
ET H. T. DECANVS

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

KONFRIE
UNIVERS
ZV HALL

P R I N C I P I A
P R A E F E C T I O N I S

М Е Ж О Л Т А Й О
М Е Ж О Л Т О Й

КӨНФРІД
UNIVERS.
ZV HALLE

ІОАННІС АЕГІДІУС СІРЯЧ

ІАВІТ НІНІСІОН АССЕС ОРІНІ



DE

PRINCIPIO PERFECTIONIS AB UTILITATIS SPECIE VINDICANDO



M VLTI forsan arguento, quod paginis his perse-
cutes sum, offendentur, quorum animum ma-
gnus arque perpetuus eruditorum dissensus a
disceptatione primi Iuris Naturae principii du-
dum fastidio abalienauit. Quisque uero ab hac
indignatione me liberabit, animaduertens, principia huius
disciplinae, tanta uarietate quanta copia a) inuenta, neutiquam no-
uo me adaugere uelle, sed potius in defensione ueri Iuris Natu-
rae fontis, a paucioribus admissi, a pluribus perperam reieci
meam qualemcunque operam collocari. Ipse profecto non ma-
gis miratus, quam auersatus semper fui incertas de certo huius

A

scientiae

a) Collegerunt illa GLADEFIVS in Hi-
storia Iuris Rationalis germanice edita
Lipsi. 1739. 4to et MEISTERVS in
Biblioteca Iur. Nat. et Gen. Gorring.
1749. 8vo.



scientiae principio atque inconstantes magistrorum eius sententias, propterea quod uarias totius disciplinae depravationes ex iisdem enatas fuisse intellexi. Quilibet enim eorum leges naturae, quas uel arbitratu suo copulauit, uel arctioribus circumscriptis limitibus, suo accommodare uoluit principio. Quo effectum est, ut nexus officiorum, quem ipsa ratio nobis monstrat, turbaretur, eorumque summa uariis exponeretur naevis. Alii id aegre ferentes, in sententiam non minus erroneam sunt adducti, ut uel nullum huius scientiae principium cognoscendi primum statuerent, nullo eam indigere arbitrati, uel saltem non posse eiusmodi principium uniuersale certo confici, incautis persuaderent. Tantum uero abest, ut discrepantes eruditorum sententias de re grauissimi momenti leui animo aestimem, ut fontis impuri inuestigationem, ex quo illae sint deriuandae, ad certum I. N. principium vindicandum necessariam existimem. Quo enim clariori in luce ponuntur errores, quibus doctrina de primo I. N. cognoscendi principio implicita atque depravata fuit, eo faciliori negotio euirari possunt ab eo, qui certum huius scientiae fundamentum anquirit. Itaque rationum ante omnia tentabo explorationem, quibus doctores I. N. sint permoti, ut tam diuersa huius scientiae principia amplectenterentur. Evidem generatim unum mihi uideor reperisse fontem in notionibus confusis, quibus plerique primum disciplinae nostrae principium contemplati sunt. Namque ab his profecto ortum fuit, ut in exponendo eo, uel res prorsus diuersas iejune permiscerent, uel res eodem pertinentes male separarent. Prius statim obseruare licet in permutatione principiorum, quae doctores Metaphysici diligenter solent dispuugnare. Notissima sunt ex scholis eorum tria illa *principia*, quae vocantur *essendi*, *siendi*, et *cognoscendi*. Nemo certe discrepantium eorum infinitas ibit, qui notiones ipsorum distincta cogitatione percepitur. Quis enim rationem, quae dicitur *objictiva*, ac in rebus

rebus ipsis latet, cum ratione *subiectiva*, quae ab operatione intellectus nostri penderit, permiscebit? Priorem Metaphysici de-notant uel *principio essendi*, si possibilitas rei spectatur, uel *principio fiendi*, quando de actuali rei existentia sermo est. Sed post-riorem nominant *principium cognoscendi* seu propositionem, ex qua ueritas alterius intelligitur. Nihilo tamen secius consuetas prin-cipiorum notiones magna confusione permutant, qui *principia es-sendi* ac *fiendi* demonstrationibus scientiarum ultimis immiscent. Cuius erroris iure insimulari possunt, qui aut intellectum Dei, aut uoluntatem diuinam, aut gloriam Summi Numinis principii lo-co in probandis ueris iuris naturalis ponendum suadent. Sicut enim intellectus diuinus, fons essentiarum, *principium essendi* iuris naturae est; sic uoluntas *principium fiendi* ratione caussae efficien-tis habita, gloria Dei ratione caussae finalis. Haud leuior est confusio reuelationis scriptae cum ratione hominibus innata. Sunt enim diuersa, licet non contraria, *principia cognoscendi*, tam respectu ueritatum ipsarum, quae ex illis probantur, quam rati-one usus omnibus terrarum gentibus neutiquam communis. Haec uero discernere noluere, qui uel ex statu integratiss, uel ex decalogo, praecepta I. N. tanquam ex principiis ipsorum deducere allaborarunt. Supereft confusio non minoris uitii, quae ius ciuile cum iure naturali permisceret. Si enim I. N. fons legum ciuilium, ab aequitate non remotarum, censeri debet, quod ipsi doctores earum largiuntur, leges istae principium iuris naturalis constituere nequeunt, quia *principium et principiatum magnopere* differunt. Hoc uero discrimen, quamuis manifestum, attendere nolunt, qui tribus ex praeceptis Imperatoris Iustiniani cuncta officia naturalia fluere tradunt. Habes primum diuersarum de principio I. N. opinionum fontem, in confusis intellectus representa-tionibus unice quaerendum. Quaemadmodum uero hoc eruditorum genus res admodum diuersas plane non discernit; ita



alii res indiuulso nexu cohaerentes male separant, hoc errore a
uero I. N. principio se abduci passi. Abeunt rursus in diuersas
partes, modo officia *imperfecta* se iungentes a *perfectis*, modo of-
ficia, quae Deo nobisque ipsis debemus, ab officiis erga alios ho-
mines, modo rationem a naturae instinctibus. Ex hac triplici se-
paratione diuersa I. N. principia proficiscantur necesse est. Ali-
ud enim *demonstrandi principium* requirunt illi, qui sola officia
perfecta eiusdem capacia censem. Aliud adhibuerunt, quibus offi-
cia *imperfecta* tantum *principio demonstrandi* egere uisa sunt. Ali-
am rursus occasionem officia, quatenus ratione *objetti* consideran-
tur, praebuerunt eruditis, de principio I. N. primo diuersa rati-
one sentiendi. Fuerunt enim, qui solis erga alios officiis princi-
pium aliquod uniuersale adiudicandum putarent, ea, quae Deo
praestanda sunt, officia in Ethicam, vel Theologiam naturalem,
vel ipsam adeo doctrinam sanctiorem amandantes, quaeque no-
bis ipsis debemus, ab officiis veri nominis aliena pronuntiantes.
Quod denique ad instinctus naturae pertinet, ab his solis nonnulli
principium I. N. adaequatum repetendum existimarunt, propter
ea quod ex illis satis appareat, quid natura hominis uelit, quidue
prohibeat. Quamobrem ab aliis discesserunt, qui rationem cum
instinctibus naturae recte copularunt, ut hominem a bestiis di-
stinguere liceat. Hos censeo esse fontes praecipuos, ex quibus
dissensus doctorum iuris naturae de principio scientiae suae duci
debeat, quem nunquam miraberis, si mecum cogitas, fieri non
posse, quin diuersam notionibus ipsius disciplinae ac uocis *princi-
pii* tribuentes uim, uaria quoque scientiae huius fundamenta po-
nant. Quotquot uero sunt, a uero deflectere uidentur, ideoque
me ab affectione reuocare debent. Plures quidem noui praeter
commemoratas adhuc superesse eruditorum sententias, sed neque
plenam omnium enumerationem, ab aliis iam multa cum indu-
stria factam, suscepi, neque mitius de reliquis ferendum iudici-
um,

um, propterea quod, si verum fatendum est, ab ideis quoque confusis originem eae traxerunt, quas foecundissimas errorum parentes vocare nunquam dubitauit.

NEQUE excusationem mea quidem sententia satis idoneam habent illi, qui, ut crimen falsi in demonstrandis officiis naturalibus admissi principii effugerent, principium eiusmodi uniuersale se nunquam exploraturos, desperarunt. Pessime enim causae suae consulunt, qui ad hoc extrellum descendere uelint. Quo facilius autem alios sententia sua irretire, et ab' indagatione ueri principii retinere queant, quaestione de illo tanquam nugas superfluas, rixasque inutiles immo dignitati ipsius disciplinae ualde nocituras uituperant. Sed precario quin falso sumunt, principium primum ac uniuersale in demonstrandis legibus naturalibus frustra a nobis inquire, quod ipsorum intelligentiam fugiat. Apertam enim argumentandi fallaciam committunt, ab ignoratione sua ad negationem huius principii, quae vocatur obiectio, concludentes. Ut raceam, Ius Naturae ne scientiae quidem nomen incribi, si principio demonstrandi primo caret. Tolle enim principium Iuris Naturae, nexus ueritatum, qui scientiae formam dat, in illo sine ratione sufficiente admittitur, ac demonstrationes earum in infinitum debent progredi. Quemadmodum uero in reliquis scientiis principium aliquod demonstrandi primum fundamenti loco ponitur; ita officia Iure Naturae comprehensa non modo inter se, sed et cum principio suo ultimo cohaereant necesse est. Posito igitur officiorum nexu, ponitur ipsum principium eorum primum, ac dubitatio, num possit illud inueniri, tollitur. Rationibus tamen sibi non uidentur destituti, quibus necessitas inquirendi in primum legum naturae fontem admodum dubia et anceps reddatur. Quodnam, primo quaerunt, magis uniuersale principium officia naturae ho-



minis ac totius uniuersi conuenientia cognoscendi investigare licet, ac rationis lumen existit, quocum omnes nascuntur homines, et cuius ductu omnia scientiarum uera inueniuntur indagata? Deinceps pergunt, neque leges naturae generales neque *speciales*, uti vocantur, *principio demonstrandi* generali indigent. Quod enim ad *generales* spectat, has, aiunt, ob evidentiam suam demonstrationis haud indigere, sicut regulae iuris in scholis Themidos, canones abstracti apud Metaphysicos, et Superiora Mathematum ab Euclidis discipulis principiorum loco haberi soleant. Si quis uero leges naturae *speciales* ex uno communi fonte deducere uelit, eum nonnisi per coactionem metaphysicam hoc efficere posse censem. Porro controvierias et demonstraciones omnes in Iure Naturae multo faciliori, breuiore ac meliore via, sine principio uniuersali in subsidium vocato, expediri posse, his rationibus comprobare student. Quodsi nimirum in controversiis decidendis quaestionem praeiudicatam de primo I. N. principio, quippe quae difficultates semper adaugere soleat, omittamus, tanto maiorem dicunt nobis relinqui industriam in explicanda atque confirmando ueritate, ex qua alterum confutare uelimus. Hanc uero liti componendae semper sufficere debere, siue generalem naturae existere legem alter concedat, siue non, si modo ad ambitum iuris prudentiae naturalis eandem pertinere, satis probauerimus. Namque argute obiciunt, nullam propositionem, quam *principium demonstrandi* uniuersale vocem, ideo foecundiorem fieri conclusionibus, ac uere sit. Non minori operae compendio cunctas iuris naturalis demonstrationes absolui posse excipiunt, si conclusiones ex singulis naturae legibus proxime deducantur, nec ad fontem generalem per longiores ambages reducantur, cuius defectus illas neutiquam infirmiores reddere possit. Aduersarii quidem animaduertunt, nexus iuris naturalis, qui vocatur *systematicus*, ipsis opponi, hac ratione sublatum.

tum.^b Quapropter hoc fieri prorsus negant, utque ipsis nihil ad speciem uerae probationis desit, ad alias disciplinas prouocant, in quibus nexus systematicus non desideretur, licet fundamenta eorum in pluribus uno principiis iacentur. Tandem simulant, se nobis facile concessuros esse necessitatem unius atque uniuersalis I. N. principii explorandi, nisi investigatio eius, per tot eruditorum dissidia certe suspicioni immo contemni exposita, nos a legitimo et frugifero huius scientiae usu auocer, utpote qui in accurata legum naturae applicatione ad casus singulares in humanae uitae usu, non raro controuersos consistat. Cumprimum enim de primo I. N. principio lis instituta fuerit, eruditos quasi in introitu huius disciplinae substituisse, ac praecipuas ueritates ad eam proprie pertinentes leuiori pertractasse studio dolent. Propterea arbitrio cuiusvis totam quaestionem permitti uolunt, quam quidem non ad ipsam scientiam, sed tantum ad methodum eius spectare certissime persuasi sunt. His igitur rationibus contra sentientes potissimum utuntur ad necessitatem remouendam, quae investigationem primi I. N. principii postuleret. Sed uidentur mihi cunctae, partim falsis, partim non satis aperte niti consecutionibus. Sic largior, rationem esse praestantissimum illud instrumentum, omnibus a Deo hunc in finem concreditum, ut illius ope ueritates earumque nexus perspicere queant. Exinde uero non consequitur, ut ratio simul sit *principium cognoscendi* ueritates, utpote quod propositionem uocamus communem, ex qua multae aliae ueritates cognosci atque deduci possunt. Itaque falso rationem uocaueris principium, rectius subsidium cognoscendi ueritates, quod temere negligis, si principia scientiarum, seu prima earum uera repudies. Id enim maxime nobis incumbit, ut ope intellectus nostri ac rationis praesertim singulas ueritates rimemur, earumque discriminem investigare studeamus. Tunc uera, quae dicuntur uniuersalia, quia prima sunt reliquarum doctrinarum



narum fundamenta, nobis facile innescunt. Quamdiu uero ad haec nondum cognitio nostra escenderit, omnia, quae de scientiis nouimus, certo adhuc destituuntur fundamento, in quo consistere nobis liceat. Hoc quidem largiri nolunt, qui primum I. N. principium respectu officiorum iudicant superfluum, quae in illo uel generatim nobis praescribuntur, uel certis casibus *specialiam* annexuntur. At responderem primo, licet officia, quae dicuntur *generalia*, sua evidentia gaudeant, certam ramen eorum notitiam, in qua penitus conquiescere possumus, uniuersali quodam *cognoscendi principio* neutiquam carere posse, deinceps officia *specialia* ex hoc principio minime debere cogi, sed magis sponte, licet *remotius*, ac per officia *generalia* ex eodem fluere. Quemadmodum enim annuli catenae inuicem sequuntur, manu artificis commode connexi; ita demonstratio legitimis ratiociniis confecta non modo officia I. N. inter se, sed et nouissimum cum primo omnium principio copulat uinculo arctissimo. Si porro obiciunt, explorationem huius principii uniuersalis in variis I. N. dubitationibus rite soluendis magno nobis impedimento esse, ac demonstrationes huius scientiae iusto longiores reddere, ideoque repudiandam existimant, *particularem* concludendi rationem falso in *uniuersalem* mutant, ac *fallaciam*, quae uocatur *accidentis*, committunt. Largior etiam ipsis, de primo I. N. principio adhuc ambigentibus, controuerbias aduersus hanc uel illam iuris naturalis doctrinam motas maius facessere negotium, quam aliis, qui in vindicandis huius scientiae ueris principium aliquod uniuersale fundamenti loco ponunt, ac conuenientiam doctrinae, in disputationem uocatae, cum hoc principio, uel eius pugnam rite dijudicare intelligunt. His enim, *principio demonstrandi* uero semel admisso, demonstrationes ipsae ex uoto succedunt, ac parum laboris efficiunt. Quamuis autem plura ratiocinia inter se hoc modo colligari debeant, praesertim ubi cum pertinaci intercedit aduersa-

aduersario certamen, tota tamen demonstratio iustum mensuram nunquam transgredietur, nisi superflua illi fuerint immixta, quod saepius quidem, sed uitio demonstrantis accidit. Eadem *accidentis fallacia* mihi uidentur etiam illi decepti, qui studium primi I. N. principii inuestigandi hanc ob causam uituperant, quod eruditos semper impedierit, quo minus industriam suam in ponderandis grauissimis huius scientiae doctrinis exercere potuerint. Falso enim explorationi huius principii per se tribuunt, quod rursus negligentia eruditorum effectum est. Potuissent isti laborem incepturn persequi, ac culturae totius disciplinae impendere, si praecarius de illa promereri uoluissent. Quod denique ad postremas dissentientium rationes spectat, non video, quid necessariae huius principii inuestigationi obiciant, siquidem rursus ex falsis praemissis aperte concludunt. Neque enim reliquae disciplinae praeter *Ius Naturae* suo primo domestico principio destituuntur, licet plura particularia illi merito adjungi soleant; neque exploratio uniuersalis cuiusdam scientiae principii propter eius methodum solam necessaria putatur, sed potius accurata methodus a nexu ueritatum cum principio scientiae certo dependet. Quo nexus posito, ponitur etiam accurata scientiae methodus. Alioquin eruditus methodum scientificam, quae in demonstrationibus occupatur, maxime auersantes, scientiae, quam profitentur, principium uniuersale simul infirias ire deberent, quod tamen illis exprobrari nequit. Tanrum igitur abest, ut labor primum atque uniuersale I. N. *cognoscendi principium* certo explorandi superuacuus aut noxius uideatur, ut non modo in scholis literatorum hominum, sed et in uita communis maxime necessarius nostra praesertim aetate fiat. Versamur enim, ut ita loquar, in nube Scepticorum vagae temeritatis, qui dubitationibus subtilissimis fundamenta omnium scientiarum subuertere magnopere allaborant. Quanta etiam licentia homines profani actionibus suis depravatis

B. simis



simis officia naturalia diuellere audent! Primum igitur officiorum principium in tuto collocetur necesse est, quo firmius nexus officiorum inseparabilis propugnari ac stabiliri possit. Quid denique omnis officiorum cognitio, certo nudata fundamento, uitae prodesset, quum uoluntas hominis semper eo acrius ad peragenda officia stimuletur, quo certiori arguento intellectus de illis fuerit conuictus. Haec omnia me ab affensa retainent, quem illi postulant, qui principium I. N. *cognoscendi primum* neque posse, neque debere explorari, rationibus a me discussis contendunt.

Quemadmodum autem primum I. N. principium eruditos uarias in sententias distraxit, ut nondum de eo conuenire uelint; ita L. B. DE WOLF Viri immortalis sententia de hoc principio aduersarios non minus quam fautores nacta est. Quod ad initia eruditorum iudicia contra illam adtinet, non uereor dicere, haec e non satis intellecta mentis AVTORIS ILLVSTRIS interpretatione fuisse orta. Prius igitur, quam propositionem a WOLFIO in demonstrandis officiis naturalibus primi loco principii positam, b) *PERFICE TE TVVMQVE STATVM*, ab accusacionibus; aliorum uindicem, necesse erit, ut sententiam AVTORIS hac propositione contentam, accuratius exponam. Haec uero statim in aprico ponetur, cumprimum significatus uocis *perficio* rite enodatus fuerit. Tantum enim a mente AVTORIS absent, ut potestas eius adeo angustis circumscribatur limitibus, ac plerique existimant, ut pleno potius ambitu ea sumenda sit. Rident ideo aduersarii immerito, studium perfectionis suae normam communem esse debere, officia naturalia exsequendi, siquidem actiones, eo consilio susceptae, saepius omni aequitati naturali repugna-

re

b) Vid. THÜMIGII *Diss. de principio I. N. Wolfiano*.

re soleant. Sistunt nobis hominem sceleratissimum, qui res alienas furto ad se rapere studeat. En, *inquit*, cultorem PRINCIPII, quod WOLFIUS uocat PERFECTIONIS, strenuum, ac simul uiolatorem legum naturae, patibulo affigendum! Quis uero mecum non animaduertit, potestatem maxime iejunam nostro uocabulo ab illis tribui, qui de perfectione *apparente* illud explicit, quod WOLFIUS de *uera* tantum intelligi uoluit, cunctis naturae legibus maxime consentanea. Homo igitur furto, aut alias generis sceleribus se perficere conatus, nubem pro Iunone amplectitur, propterea quod actionibus iuri naturae contrariis utilitatem suam anquirit. Nihil aequa efficiunt contra nos exemplo auari, qui, corrasis multis opibus, tandem fame perire cogatur, licet per totam uitam perfectionis suae fuerit studiosissimus. Falsa enim uocis notione rursus decipiuntur, quam praeter mentem WOLFI de perfectione *statu* modo *praesentis* exponunt. At perfectio, ad quam actiones nostras ipsum Ius Naturae dirigendas suaderet, non solum *praesentem*, sed simul *futurum* nostrum *statum* spectat. Quodsi auarus secum perpendret, officia erga seipsum, quae ipsi naturae autor praescripsit, maiori prudentia ac feliori cum euentu exerceret. Praeterea ipse consensus uariorum in uno, quem WOLFIUS *perfectionem* nominat, requirit, ut felicitatem *status* nostri tam praesentis quam futuri amplificare studeamus, nisi uelimus ad tempus esse felices, quo acerbiora fata futuro tempore experiri possimus. Perficeret uero se auarus, nisi remedia felicitatis conuerteret in finem, per se expetendum, cumque diuitiae uerae ponantur in usu, in possessione sola acquiesceret, de perfectionibus *externis* magis sollicitus, quam *internis*. Immo uero homines ipsi profigati, dum uel uitiis suis se perficere student, principium confirmant WOLFI, animis nostris impresum, in eo peccantes, quod perfectionis speciem a uera perfectione non discernunt. Forsan autem regulae perfectionis in actionibus



nibus eligendis saepius nos ancipites reddunt, ut nesciamus, quena[m] actio alteri sit praeferenda, ut uere nos statumque nostrum perficiamus. Neque haec perfectionum collisio principio propter felicitatem nostram agendi contraria est. Ratio enim in eiusmodi casu quemlibet monet, ut perfectionem maiorem minori praeoptet, actionemque, quae feliciorem ipsum reddere possit, seligat. Procul igitur abest a mente WOLFI, si in explicando **PERFECTIONIS PRINCIPIO**, perfectio, quae dicitur *comparata*, excludatur. Tandem perfectionis studium etiam hoc a nobis postulat, ut bona *externa* simul cum *internis* nobis comparare studeamus. Quam exigua quaeso felicitas nobis relinquetur, si opibus, honoribus ac multis uitae huius commoditatibus afflentes, morbo tamen corporis continuo affligeremur? Num illum dices fortunatum, in cuius corpore sano mens insana inhabitat? Noli dicere, tam plenae perfectionis studium uires nostras prorsus superare, ideoque nemini mortalium debere commendari. At primo non cogitas, quod difficile sit, ideo non fieri statim non posse, deinceps non recordaris, Deum autem legum naturae hac bonorum ingenti copia remunerari uelle obsequium legibus suis praestitum. Eundem enim in finem Deus rationi hominum has leges manifestauit, ut per illas felicitas hominum efficiatur in gloriam ipsius tanquam legislatoris benignissimi. Perfectionem denique numeris omnibus absolutam ex animo dimitte, ac *respectuam*, quae uocatur, retine. Hic in secundis tertisque subsistere, et minimis urgeri uitiis, iam perfectum putatur. Itaque falsis ac maximam partem imperfectis notionibus si uocem *perfectionis*, ab WOLFI magna prudentia adhibitam, liberaueris, ipsum **PERFECTIONIS PRINCIPIVM** ne minimum quidem tibi amplius mouebit offensionem. Mens enim celebrimi AVTORIS eo spectat, ut perfectiones *apparentes* a *ueris* probe discernantur, e contrario perfectio *comparata* cum *absoluta*, futura

tura cum praesente, interna cum externa, studiose iungatur. Hoc autem aduersarii de industria omittunt, quo maiori specie colores, quibus PRINCIPIVM WOLFIANVM eludere cupiunt, ornare queant.

INSTANTIAS repetere nolo iam §. anteced. solutas, ne actum agere videar. Prius autem, quam ad dubitationes, quae ingenia subtilissima ab assensione retinuere, respondeam, duabus obiectiōnibus non possum non occurrere, quibus PRINCIPIVM PERFECTIONIS vulgo impugnari solet. Prior ex definitione perfectionis *Wolfiana* male intellecta proficiscitur, ac consecutio- nem ex illa dicit falsissimam. Existimant nimurum, si ad perfectionem moralē uniformitas et consensus actionum requirantur, principium, secundum quod actiones liberae ad perfectionem tendere debent, impiis hominibus necessitatē prauas actiones continuandi imponere. At uero non solus actionum concentus perfectionem nostram efficere potest, sed in primis finis, in quo consentire debent, requiritur legibus consentaneus, si liberis actionibus nos statumque nostrum perficere cupiamus. Plura qui- dem et *uaria* existunt actionum tam bonarum quam malarum genera, sed *unum*, in quo bonae legibusque consentaneae actiones conspirant, magnopere differt ab *uno*, in quo actiones malae et legibus contrariae conueniunt. Officia igitur naturae legibus praescripta exequi studens, *essentialis* suas determinationes cum *accidentalibus* per bonas actiones, quae conditionem eius reddere possunt ac debent perfectiorem, semper in concordiam redigere studer, ut iis conuenienter agat; siue, quo popularitate maiore dicam, hoc agit, ut actionibus suis animus cum corpore dotibus crescat, ipsaque felicitas externa seruetur atque augeatur. Homo contra ea profanus, quia naturae suae oblitus est, ad malas actiones, quae ipſi nocent, coeco impetu abripitur. Quapropter non

Biz video,



video, quodnam contumaciae praesidit homo, sceleratis continuo indulgens actionibus, in principio Iuris Naturae inuenire possit, quod consensum actionum moralium cum essentialibus hominis determinationibus requirit. Quamdiu enim talis homo in actionibus suae ipsius naturae contrariis perseverat, hoc agendi principium respuit, nec ueram perfectionem suam aestimat. Tantum igitur abest a sententia WOLFI, ut hoc principium homines reddat peiores, ut eos ad maiores in dies perfectiones actionibus suis acquirendas perducere debeat. Abusum uero huius principii ad prauos agendi fines, quo quaelibet uniformitas, ut barbara eorum uoce utar, cum consensu perpetuo et constante permiscetur, quis potest uerare, quando ipsa naturae uox hoc efficere nequit? Illud autem uix ferendum, quod AVTOR libri principio huic criminis dat, qui inscribitur *der Philosophen zu Sanssouci gegründete Sittenlehre des Teufels.* c) Puteat enim, secundum hanc WOLFI philosophiam omnes diabolis uirtutes tribuendas, quia suae naturae morali conuenienter agant. Quasi uero uitia, quibus redduntur diaboli, et corruptelae, sint eorum natura, cuius autor Deus est. WOLFI natura moralis uersatur in bonis malisque, sapientia diuina cum actionibus quae connexuit, quibusque naturae intelligentes uel perficiuntur uel deprauantur. Egregia uero perfectio diaboli, quae tandem poenis sempiternis mactatur, non modo praeſenſione earum desperationis plenissima. Altera, quae PRINCIPIO WOLFIANO opponitur, instantia non minoris quidem uidetur momenti, falsae tamen consequiae rursus innititur. Neminem putant hoc principium IN. posse amplecti, qui fidem Christo salutis suae autori datam animo stabili seruare uelit. Si enim martyres, religionis suae sacramentum uel morte obſignare non tergiuersati, ad PRINCIPVM PERFECTIONIS se accommodare uoluissent, uitam conſtan-

c) P. II. de uirtutibus diabolorum initio.

tiae fidei anteponere debuissent. Quare illud iure repudiandum censem, dum perseverantiam fidei, quae nos adeo imperfectos reddere possit, ut ipsa uita priuemur, dissuadeat. Periculosa profectio est consequentia, quae ex PRINCPIO PERFECTIONIS ira ducitur. Nemini quidem uitio uerti posset, si illud hanc ob caussam repudiaret, ne fidem suam perderet. At enim uero priuatio uitiae in hoc casu cum studio perfectionis minime pugnat. Quamuis enim conseruatio uitiae naturalis magna sit perfectio, fine qua omnes reliquae perfectiones ad statum praesentem pertinentes impetrari nequeunt, perfectio tamen futurae uitiae omnino illam longe antecellit, quam homo, fide prodita, consequi nequit. Quum igitur iactura huius uitiae propter constantiam fidei facta, quae hominem quidem ratione praesentis aeuii imperfectum reddit, beatissimam uitiae futurae pariat conditionem, satis exinde patescit, nullam imperfectionem, ex qua multo maiorioratur perfectio, principio huic aduersari posse, nec timendum, ne officia erga Deum illo tollantur, uel saltem iis, quae nobis debeamus, postponantur. Remoris sic minus opportunis aduersariorum instantiis, progredior ad momenta subtiliorum dubitationum, d) quae multis uidentur PERFECTIONIS PRINCIPIVM dignitate ac robore suo denudare. Summa quaestioniis in illis eoredit, num principium, quod WOLFIUS in demonstrandis cunctis officiis naturalibus tanquam fundamentum generale posuit, primum, adaequatum, ac satis evidens dici et haberi possit. Primo igitur dubitant, num principium, quod notitiam officiorum iam praefruat, primum illa cognoscendi subsidium censi possit. Deinde nolunt illud adaequatis, uti vocantur, principiis annumerare, quia neque officia, solo honestatis internae arguento peragenda, neque officia plurima erga alios ex eo deriuari queant.

d) Vid. b. GESNERI Progr. de utilitate et S. V. ERNESTI Inq. solid. doctr. de honesti es iusti matre non iudice, p. 421.

Tandem illud termino *perfectionis* metaphysico satis obscurum fieri urgent. Quod ad has dubitationes adtinet, mea quidem sententia ex praeconceptis de PRINCIPIO WOLFIANO opinioribus illae oriuntur. Prius enim aduersarii de illo iudicant, quam accuratam eius cognitionem sint consecuti. Si eadem, quam AVTOR, perfectionis notionem animo comprehendenter, PRINCIPIVM PERFECTIONIS non ab ulla alia naturae lege, sed ab ipsa hominum natura repertendum esse, statim intelligenter. Hanc enim Deus naturae autor uniuersae tanta sapientia quanta bonitate ordinavit, ut homo suae naturae impulsu bonum semper appetat, malum auersetur, in quo lex facultatis appetendi sita est. Quilibet igitur mortalium, actiones suas liberas hac determinatione naturali conformans, normam sponte sequitur generalem, quam PERFECTIONIS PRINCIPIVM in conficiendis officiis naturalibus ipsis praescribit, propterea quod rationem tam mouentem quam finalē, ut reximere loquar, cuiuslibet officii ex hoc principio evidenti ratione cognoscit. Quapropter non leui errore aduersarii illud ex notitia officiorum deriuant, quae tamen nonnisi ex illo plene possunt intelligi. Quis enim sāus prius agit, quam cognoverit, quam ob cāussām, et quem in finem agere possit ac debeat. Altera dubitatio contra perfectam utilitatem principii nostri mota rursus inquinato ex fonte dimanat. Sumunt aduersarii, actiones propter se, quia honestae sunt, expetendas, sicut pleraque officia erga alios huic principio magis repugnare, quam conuenire. Haec uero sumtio rursus falsam perfectionis notionem manifesto prodit, utpote quam ad solam utilitatem propriam praeter mentem WOLFI restringunt. Ita enim inferunt, si nos statimque nostrum perficere debemus, aliorum commoda eorumque amplificatio nihil ad nos pertinent, sed quicquid agamus, sola utilitate nostra nobis est metiendum. Absit autem quam longissime, ut tanta turpitudinis nota princi-

pio nostro merito inuri possit, ut illud a studio tam sordidae utilitatis nos magis auocet, quod in sequentibus §§. ulterius confirmare suscipiam. Paucis vero ad postremam dubitationem artea respondere mihi licet. Evidentiam nimirum PRINCIPII WOLFIANI ideo in dubium uocare audent, quia illud termino metaphysico exprimatur satis uago atque obscuro. At uero totam dubitationem soluit una *dissinatio*, quam omnes Philosophi inter obscuritatem *subiectiuam* et *objectiuam* rite ponere solent. Optandum igitur es-
set, ut dissentientes ueram perfectionis notionem distincte eruerent, ac secundum illam PRINCIPIVM WOLFIANVM sine praedi-
catis sententiis explicarent. Tunc magis apertis oculis PRIN-
CIPIVM PERFECTIONIS intuerentur, neque illud obscuritatis
temere accusarent.

REVERTOR autem ad illud dubitationis momentum, cuius speciosa forma eruditos ingenio acutissimos fecellit. Negant ni-
mirum, ut iam monui, principium omnibus officiis naturalibus cognoscendis ac demonstrandis posse sufficere, quod studium perfectionis nostrae unice commendet. Namque ab illo longissime remota existimant officia, quae partim aliorum commodi gratia, partim solis honesti rationibus peragi debeant. Quod ad officia prioris generis spectat, haec PRINCIPIO PERFECTIONIS minime excludi, sequentes §§. planum facient. Maneo iam in officiis, quae honestatis leges sine spe commodi iubent, ideoque PRINCIPIO PERFECTIONIS aduersarii conciliare nequeunt. At uero nolunt triplex bonum, quod nos perficere solet, attendere, sola utilitate perfectionem hominis aestimantes. Si enim varia atque innumera bona, quae Deus ipse nostrae felicitatis ergo in natura rerum uniuersa posuit atque coniunxit, intuitem animo discernamus, illa in tres potissimum species commode dispersitri posse animaduertemus. Alia sunt bona, quae dicuntur *honestas*,

C

quod



quod e recte factis unice constant. Alia vocantur *iucunda*, quia sensus animumque recreant. Alia denique nomine *utilium* veniunt, quia nos in comparandis rebus ad uitam necessariis adiuvant. Hoc est uerum bonorum discrimen, e quibus perfectio nostra pendet. Bona quidem honesta reliquis uidentur palmam praeripere, quia potiorem hominis partem animum scilicet ad maiores perfectiones perducunt. Sed ideo bona iucunda atque utilia ab illis seiungere non licet, propterea quod cuncta tria bona perfectionem nostram coniunctim efficiunt. Qui enim animo bene esse cupit, corpori suo ac statui externo simul consulat necesse est, hincque bonis iucundis atque utilibus stricte sic dictis nunquam carere porerit. Propterea *SOCRATES*, teste *Tullio*, e) homines merito exscratus est, qui haec tria bona natura et iure cohaerentia opinione et factis distrahanter. Nihilo tamen secius criminis huius atque audaciae maxima pars hominum accusari potest, quae sola bona utilia, temere neglectis honestis, quaerit. Hoc enim mortalium genus actionibus turpissimis se contaminare non ueretur, si modo lucrum ab iisdem expectari possit. Sed contemptus boni honesti eiusmodi homines uera perfectione priuat, ac sceleratissimos reddit. Falluntur enim utilitatis specie, quia turpitudo et uera utilitas, bene monente *TULLIO*, in eadem re locum habere nequeunt. Quodsi, inquit, f) nihil est tam contra naturam, quam turpitudo, nihilque tam secundum naturam, quam utilitas, certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Haec uero homines non probi discernere nolunt, turpissimo errori inhaerentes, utilitatem esse matrem, cui honestas quasi filia in omnibus cedere debeat. Hinc, pergit *CICERO*, g) sicae, hinc uenena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furtu, peculatus, expilaciones direptionesque sociorum et ciuium: hinc opum nimiarum potentiae non

e) de Offic. III. 3. f) de Offic. III. 8. g) I. c.

non ferenda. Nullum igitur facinus poterit excogitari, ad quod homo bona honesta fugiens non sit paratus atque idoneus. Vtilitas uero, quam sibi parare studet, non modo sordida est, sed etiam mox euanescit, ac in perniciem eius abit. Qua de causa SENECA b) *uirum bonum laudat non facientem, quod turpe erit, etiam si pecuniam affert, etiam si uoluptatem, etiam si potentiam.* Ex quibus satis apparet, perfectionem ueri nominis sine bonis honestis ne cogitari quidem, multo minus comparari posse. Si igitur aduersari notione *generali* utilitatis non fuissent decepti, uix perfectionis studium erronea improborum hominum opinione aestimassent, neque officia honestatis PRINCIPIO PERFECTIONIS opposuissent. Pari modo incunditatis ab honestate disiunctio Epicuri de grege porcos fecit. Hi, quod sensus titillat, expertunt uehementissime, nec, quid leges uelint, quid prohibeant, quaerunt, illud semper in ore habentes, *quod libet, licet.* Nec uero opus est, ut in iis diutius moremur. Dum se infra quadrupedes abiiciunt, blandissimis uoluptatibus magis indulgent, quam rationi, ac lentis ignibus se conficiunt ipsi.

QVM uero species utilitatis plurimos in errorem atque uitia det praecipites, bona, quae uidentur utilia, nec sunt, perfectioni nostrae magis aduersari, quam prodesse, apparet. Siquid enim nobis ueram utilitatem praebere deber, eius ope ad ueram felicitatem perueniamus necesse est. Vera autem perfectio hoc unum spectat, ut nos re non opinione fiamus felices. Hoc esse uerissimum, omnes mihi largientur, qui commoda uirtutum suarum perceperunt. Sufficere potest exemplo suo homo temperantiae deditus, quae sibi ipsa praemium stabile tribuit. Hic nullam animi aegritudinem sentit, nec morbi, quibus ali affliguntur, corpus ejus debilitant. Temperat enim sibi a uehementioribus animi com-

C 2 motioni-

b) Epist. LXXVI.

motionibus, licet ad illas, sicut alii, instigari soleat. Cibum et potum corpori suo non denegat, sed in utroque continentiam adhibet, quam recta ualitudo sequitur. En emolumenta uera atque insignia, quae temperantia parat, utpote uerae perfectionis subsidium! Cujus enim animo et corpori tam bene est, illi ad perfectio-
nem sui naturalem multum praesidii adest. Hinc Stoici sapientes omne felicitatis momentum in uirtutum exercitatione ponebant, bonis honestis unice ueram tribuentes utilitatem his uerbis: *Sola bona, quae honesta.* Nec praeclarius quid de uirtutum commodis dici poterit illis *Comici i) dictis:* *Virtus praemium est optimum. Virtus omnia in se habet. Omnia ad sunt bona, quem penes est virtus.* Quum igitur toto uirtutum choro facile confirmari possit, ueram utilitatem semper cum uera perfectione esse coniunctam, rursus non video, cur aduersarii officia, quae honestatis argumento peraguntur, et quorum habitus uno nomine *uirtutes* appellantur, ex PRINCIPIO PERFECTIONIS deriuari posse negent. Virtutes enim sunt illa remedia praestantissima ueram felicitatem impetrandi, hincque nos utilitate fallaci nunquam defraudare possunt. Vbi autem uera utilitas, ibi uera simul adest perfectio.

NEQUE IN PRINCIPIO PERFECTIONIS, quod omnino bona nobis uere utilia sectanda suader, aliiquid reperitur, quod naturali hominis instinctui refrageratur. Sed potius quilibet secundum illud agens naturae suae conuenienter sine crimine uiuit. Quisque enim mortalium cum amore sui nascitur, qui ipsum impellit, ut, quicquid felicitati suae inseguire possit, non modo appetat, sed et consequi omnibus uiribus contendat. Qui uero felicitatis suae naturali desiderio flagrat, illius natura ad utilitatis studium omnino est composita. Hoc tanto minus de homine negare licet, dum nouimus, uel cunctas animantes rationis expertes eiusmodi instinctu esse

i) PLAVT. *Ampb. II. 2. 17. sequ.*

esse praeditas, ut conseruationem sui quaerant, ac interitum e contrario fugiant. Quanto magis igitur allici debuit hoc naturae instrumento homo, quem Deus tanquam singulare gloriae suae instrumentum condidit, ac cuius felicitate immensam bonitatem suam manifestari voluit. Propterea hominem quoque prae reliquis animantibus praestantissimo rationis dono sapienter exornauit, quo aptior fieret ad ueram perfectionem suam hac innata indeole acquirendam. Praeclara sunt profanorum sapientum testimonia de hac communione omnium animantium erga utilitatem suam propensione, e quibus nonnulla hoc loco colligere liceat. CICERO de his *naturae primis*, uti eleganter uocat, recte et commode hanc in sententiam disserit: k) Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, uitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura uideantur, omniaque, quaecunque ad uiuendum sint necessaria, anquirat. Homini uero insitum amorem sui, indeque fluens studium utilitatis suae praeprimis SENECA consueta dictione sua arguta ita eloquitur: l) Primum sibi ipse conciliatur animal. Debet enim aliquid esse, ad quod alia referantur. Voluptatem peto. Cui? mihi. Ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mea cura. Haec animalibus inest cunctis, nec inseritur, sed innascitur. Et alio loco: m) Nemo sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, a qua ad charitatem sui compositus est: unde illi summa cura est, nocitura uitandi, profutura appetendi. Si autem uelis rem quotidiani exemplis probatam animo tuo subiicere, homines in uirtutum ac uitiorum tramite spectare debes. Vtrique mortalium generi hoc unum est propositum, ut utilitati suae consulant. Probi uirtutibus operam dant, ut se felices reddant. Improbis etiam a scelerata uita commoda expectant, nec ullum, ut concinnis utar SENECAE n) uerbis, sine autoramento malum est. Anaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac

C 3

uarias

k) de Offic. I. 4.

l) Epist. CXXI.

m) de Benef. V. 9.

n) Epist. LXIX.



uarias uoluptates, ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam, et quicquid potentia potest. Mercede te uitia sollicitant. Hoc certe non obseruares, nisi studium utilitatis omnium naturae adeo ingeneratum esset, ut sine eo nihil peragere possint. Magnum quidem discrimen intercedere largior, inter remedia, quae homines ad hanc cupiditatem naturalem explendam adhibent, ipsa tamen nihil in se haber criminis, quia originem a benignissimo naturae autore Deo ducit. Quidnam igitur officiorum naturalium principium ad ipsam hominis naturam accommodatus excogitari potest illo, quod cuius studium perfectionis suae commendat. Hoc non longis ratiociniis conjectum uulgo aequi ac eruditis notum est, immo infans illud iam ante rationis usum sentit.

QVEMADMODVM uero corrupta hominum indoles omnem declinationem a uero et bono efficit; ita haec naturalis inclinatio erroribus intellectus et uitiis voluntatis apud plerosque depravatur. Omnes quidem se perfidere cupiunt, sed paucioribus perfectiones aliorum simul curae cordique sunt, quia sibi tantum se esse natos persuasione inani credunt. Isti insipientes non cogitant necessitatem, propter quam cum aliis hominibus arctissimo societatis uinculo sunt coniuncti. Quis enim sine aliis potest uiuere? Quis uero consortione aliorum magis indignum se reddit, quam ille, qui cum damno aliorum suam perfectionem querit? Hunc enim merito fugiunt omnes uelut pestem societatis humanae, quia neminem praeter se uult esse felicem, ac nocere alteri, aut nullum, aut certe leue uitium existimat. Quare consuetudo cum homine, qui modo lucrum quaerit, ut alter damnum sentiat, trito sermone societas uocatur *leonina* a fabula illa notissima, qua leo uenator, specie uaria usus, omnes praedae partes ad se rapuit, apud PHAEDRVM. o) Alioquin ipsae bestiae istud improbum mortali-

um

o) L. I. Fab. V.

um genus antecellunt, quae non sola sui utilitate ducuntur, sed saepius sibi sue conservationem suo interitu propugnare solent, immo aliarum aequalium pericula magna cum uehementia auertere student, prout uetus confirmat proverbiu[m]: *Canis canit nam non est.* Si igitur homines rationi sua obtemperarent, nunquam aliorum incommodis sua commoda augere laborarent. Haec enim ipsos edocet, nemini esse faciendum, quod quisque sibi fieri nolit. Quis uero commoda sua rapinae aliorum lubens committit? Quid? quod leges societatis non modo laesionem alterius commodi uetant, sed simul cuius id officii imponunt, ut emolumenta aliorum suis perfectionibus augere studeat. Quilibet enim alterius ope indiget, quacunque aetate et in quocunque statu uiuat. Nascitur homo infirmus, ut sine aliorum subsidio eodem perire die, quo primam uiderat lucem, et ad mortem usque aliorum auxilio iuuari debet. Diuites ac pauperes sibi inuicem opitulentur necesse est, si uterque iuuere cupiat; immo uero inopes, quod egent paucioribus, facilius locupletibus carerent, quam hi illis. *Quemcumque, SENECA p) ait, miserum uideris, hominem scias.* Tantum igitur abest a fine consociationis humanae, ut alterius infelicitate nostram felicitatem parare studeamus, ut hostis huius congregationis uere sit dicendus, qui socium commodis priuat, quem sicut scipsum conseruare debeat. Eodem rationis argumento utitur CICERO, q) *hominem hominis incommode suum augere commodum, probaturus, magis esse contra naturam, quam mortem, paupertatem, dolorem, ac cetera, quae aut corpori possint accidere, aut rebus externis.* Quicquid enim vinculum societatis humanae disrupat, illud *contra naturam fieri recte exinde colligit, quia societas haec maxime sit secundum naturam.* Exemplum, quo rem satis commode illustrat, a membris corporis humani inuicem arctissime coniunctis desumit. *Vt, si unumquodque membrum sensum hunc habet,*

p) Hercul. Fur. u. 463.

q) de Offic. III. 5.

beret, ut posse putaret se ualere, si proximi membra ualeitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahaturque, quod cuiusque possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas euerteretur necesse est. Quodsi cum CARNEADE, acutissimo quondam Graecorum philosopho, quem GROTIUS r) ex instituto refutandum sibi summis, obiicere uelles, hominem sibi nocere, alieno abstinentem, quod ipsi possit utile esse, ideoque summa cum stultitia aliorum commodis consulere, ad id bene responder CICERO sibi, pergens, ut quisque malit, quod ad usum uitae pertinet, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura: illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Quo maiori robore sententiam suam aduersus eos, qui naturae hoc obsequium denegant, communiret, hoc adiunxit DILEMMA: t) Qui alterum uiolat, ut ipse aliiquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere, aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam iniuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus uiolandis, quid cum eo differas, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed et multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem, errat in eo, quod nullum aut corporis aut fortunae uitium animi uitiis grauius existimat. Itaque sublati singulis membris, hanc rationem tandem subducit: Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscunque et uniuersorum. Non minori diligentia noua ratiociniorum catena est constructa, quae hanc in sententiam subsequitur: u) Atque, si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quod is homo sit, consultum uelit, necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quodsi tra
eft,

r) Proleg. I. B. et P. §. V. sequ.
s) l. c.

t) de Offic. III. 6.
u) l. c.

est, una continemur omnes et eadem lege naturae: idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturae prohibemur. Verum autem primum, uerum igitur et extreum. Omnem denique CICERO recusationem illis adimere cupit, qui ad discrimen hominum, quibus haec iniuria fiat, forsitan prouocent, et ab illo praefidium licentiae aliena commoda ad se rapiendi repetere uelint. Propterea differentiam, quae inter propinquos et alios ciues, inter virum sapientem et hominem ad nullam rem utilem, immo inter virum bonum atque immanem tyrannum praeferendi possit, tam accurata disceptatione confutat, ut nemini, cuiuscunque sit conditionis, propriae utilitatis gratia aliquid detrahendum esse, satis manifestum fiat. Quum igitur nihil magis humani generis societatem dirimat, quam alieni commodi appetitio, ratio, quae nos docet, neminem sine aliorum societate posse esse beatum, simul nos a libidine perfectiones nostras cum detrimento alterius acquirendi dehortatur.

QVAPROPTER non satis mirari possum eos, qui officia erga alios PRINCIPIO PERFECTIONIS quasi aduersa censuerunt. Quo certius enim est, neminem sine aliorum officiis fieri posse perfectum; eo maior necessitas quemuis urget, ut officia erga alios quam diligentissime exerceat, utpote quibus illi ad suam perfectionem carere nequeunt. Quilibet igitur suam perfectionem amans officia officiis compensare debet. Hoc ipsa grati animi conditio postulat. Quemadmodum enim ingratus aliorum beneficijs seipsum priuat; ita nefando hoc uitio summam animi imperfectionem sibi contrahit. *Vt scias, SENECA* ^{w)} ait, per se expetendam esse grati animi affectionem, per se fugienda res est; ingratum esse; quoniam nihil aequa concordiam humani generis dissociat ac distractabit, quam hoc uitium. Rationem statim adiicit, pergens:

D

Nam

^{w)} de Benef. IV. 18. I. lxxxviii.



Nam quo' alio tuti sumus, quam quod mutuis tunamur officiis? hoc uno instruētior uita, contraque incursions subitas munitior est, beneficiorum commercio. Hos uero societatis fructus homo ingratus nihil facit, quia sensu officiorum, quae alii ipsi praestiterunt, animus eius non tangitur, ipsis feris ferocior, quae officia sentiunt, ac cura hominum mansuetae sunt, commemorabili leonis exemplo, quem GELLIVS ^{x)} narrat sanatione uulnaris erga Andromclum insigniter mansuetactum. Nihilo tamen secius homines tam efferati ingenii magna frequentia reperiuntur, ut aliorum beneficiis flecti nequeant. Quapropter societas hominum incommoda grauissima ab ingratis timeat necesse est. Oblitus enim officiorum, quae alteri deberet, ad omnia facinora promptus est atque idoneus. Erunt, inquit SENECA, ^{y)} homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptore, sacrilegi, proditores; infra ista omnia ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo nix ullum magnum facinus acreuit. Hoc tu caue tanquam maximum crimen ne admittas. Ingratus igitur non modo non curat aliorum felicitatem, sed et saepissime illam data opera impedit. Quum enim ipse sum perfectionem flocci faciat, aliorum officia sicut ipsam grati animi uirtutem spernens, fieri nequit, ut alios perficiendi studio afficiatur. E quibus satis appetet, quemlibet, excepto ingrato, amore suae perfectionis ad inferuendum aliis quam maxime stimulari, quia nemo sine alterius ope seipsum uere perficere potest.

Quemadmodum uero officia erga alios ex PRINCIPIO PERFECTIONIS necessario fluunt; ita etiam actiones solis honestationibus peragendae cum eodem principio arctius cohaerent, quam aduersarii arbitrantur. Quo igitur facilius id contra illos efficere possim, internam actionum honestatem antea explanare studebo.

^{x)} Noct. Att. V. 14.

^{y)} de Benef. I. 10.

studebo. Omnis actio, quae *honesta* dicitur, legi naturae debet esse conueniens. Lex enim naturae nonnisi ea praecipit, quae hominis eiusque actionum naturae sunt consentanea. Quare homo fanae rationi obtemperans ea peragere studet, quae ueram perfectionem ipsi conciliare possunt. Haec uero est naturalis obligatio hominis ad actiones honestas, quae obtineret, si leges ciuiles etiam illas non imperarent, si cuncta uitiae honestae præfinia externa cessarent, ac nullis ciuilibus poenis facta turpia uindicarentur. Nolunt quidem illud concedere, z) qui omne, quod de liberis hominum actionibus honestum uel turpe uocetur, ab opinione et legibus hominum demum esse profectum, contendunt. Iste profecto sensum honesti naturalem in se supprimere mihi uidentur, alioqui uix actiones honestas legibus tantum positius aestimandas esse, affirmare possent. Si enim homo iam natura duce et magistra honesta sectari intelligit, norma actionis honestae omnibus legibus positivis multo antiquior censeri debet. Quodcunque igitur leges ciuiles praecipient honestum, iam ante sanctionem earum sua natura fuit honestum. Secus si esset, nihil intercederet inter leges principis optimi ac tyranni discriminis, cum tamen illae rempublicam perficiant, hae deteriorem faciant. Obsequio res fit manifestior, quod homines legibus his diuersam observationem praestare solent. Homo prudens sponte paret illis, quia aequitatis naturalis sint interpretes. Homo uero fanae rationis consilia repudiens nunquam ad illas se accommodaret, nisi poenas iisdem annexas metueret. Nihilo tamen minus leges positivae in homine naturae disciplinam respuente, id modo efficiunt, ut turpia facta uel pro�is omittat, uel occulto saltu modo peragat, minime uero illum ad ipsas actiones honestas expetendas impellere possunt. Quot praeclara hominum facta in mundo nunquam ex-

D 2

stitissent

z) u. Not. b. MOSHEMI iad CVDWOR-
THI librum de aeternis justi et honesti
notionibus in Systemate eius Intellectu-

stitissent, nisi viri boni et sapientes interna actionum honestate fuissent permoti? Haec enim non sequitur solas leges positivias, neque sola praemia et poenas spectat, sed actionem honestam per se reddit amabilem, propterea quod naturae hominis ratione praeditae maxime est consentanea. Praeterea internam actionum honestatem satis confirmant consecutiones omnis actionis *hypothetice* necessariae. Quaelibet enim actio bona nos perficit, sicut omnis prava nos infelices reddit. Num uero hoc semper fieret, nisi actiones honestae cum ipsa natura nostra adeo propinquam habent cognitionem? Quaenam insuper ratio commoda legibus positivis iustis inesse, nisi interna actionum honestas eandem efficeret? Haec sola legibus imperantium auctoritatem conciliat stabilem, obsequiumque parit uoluntarium. Quemadmodum enim legislator ipse legibus naturae est subiectus; ita leges suas regulis aequitatis naturalis conformare debet, si vim obligandi illis plenam competere uelit. Posita igitur honestate actionum interna, ponitur simul omnium legum posituarum hoc nomine dignarum ratio, quam nemo repudiabit, nisi obligationis suae naturalis im- memor esse uelit. Quamuis autem homo ad actiones honestas *necessitate morali* ita obligetur, ut, nisi suae ipsius naturae inimicus esse uelit, illas sectari debeat; minime tamen obligatio, qua Deus hominem ad leges naturae seruandas obstrinxit, ideo frustra additur. Deus enim autor naturae benignissimus non modo leges naturae sapientissime ad naturam hominis ordinavit, ut obseruatio earum ad felicitatem hominis tenderet, ac rerum mundanarum cursum sic instituit, ut bonas actiones bona sequerentur, malas mala, sed et ipsum hominem ratione ac libertate instruxit, qua ex his legibus noxias sibi aequa ac salutares actiones cognoscere, ac simul ad bonas sponte se determinare posset. Num igitur grauiora motiuua homo ad actiones honestas a diuino legislatore accipere potuisset? Tanto maior autem existit hominis obligatio ad fines optimos a Deo per leges naturales intentos omni studio et cura adimplen-

implendos. Itaque obligatio ab interna actionum honestate proveniens neutquam tollit obligationem, quam Deus parens atque gubernator naturae iure summo sibi vindicat; immo vero sapientiam Dei monstrat, qua nihil nobis sine ratione iniunxit, sed ubique saluti nostrae consuluit. Quae si aduersarii animo bene distinxissent, sententiam b. WOLFI de actionibus per se honestis atque turpis tanquam periculosissimam uix obiurgassent. Falso enim dicunt, hanc doctrinam errori uiam pandere, qui Deum statuit nihil curare homines, sed naturali semel illos ornatissime facultate, actiones utiles pariter ac noxias cognoscendi, malisque bonas praeferendi. Deinceps urgent liberum uitiorum exercitium homini noxias eorum consecutiones nihil facient ita esse relictum. Neutrum uero, quantum ego video, hac doctrina efficitur, quia saluo Dei imperio in homines, ac salua eius libertate de consectariis humana- rum actionum disponendi, interna actionum moralitas consistere potest, ut riteam, ipsum Deum uires hominis contra abusum libertatis his limitibus circumscripsisse, ac simul nexum rerum in mundo uniuersum e conservatione diuina et gubernatione pendere semper, ut homo male agere non possit, nisi seipsum punire velit. Absit igitur a nobis, ut statuamus, Deum autorem arque moderatorem uniuersae naturae ideo liberas hominum actiones nihil curare, quia effectus tam boni quam mali cum iisdem semel necessario sint connexi. Quodsi quis detrimenta, malis actionibus importanda, flocci pendit, is sua se stultitia punit, quod maluit uitiorum blanditiis sequi, quam rationis ductum, per quam consequentia cernit, et progressiones actionum in utramque partem. Non minori temeritate impii naturae fautores doctrina de interna actionum honestate ad immortalitatem animorum cum praemiis et poenis alterius uitiae negandam abutuntur. Iactant hi singulari uirtutum suarum opinione inflati homines, se omnia, quaecunque honeste agant, sine ullo priuati commodi studio peragere, seque a uitiorum tra-

mite communī generis humani salute, ipsa virtute ac solo officiorum amore reuocari. Propterea nobiscum uelut humilibus atque abiectis hominibus nullum habere cupiunt commercium, quippe qui sola spe futuri praemii virtutes colamus, ac nonnisi aeternis cruciatibus ab obsequio flagitosarum libidinum refrenemur. At uero praedicent hi Thrasones de se uirtutis studium, nihil desiderans praemii. Crederem hoc illis, nisi uitae ipsorum rationes alia monstrarent. Vbiique enim speciem querunt utilitatis, quae quoties honesto repugnat, ius uiolare non dubitant, caeteris in rebus culturi pietatem. Ipsa ratio uero, quam Numinis instar collunt, illis aduersatur, perperuam uitam animi nostri ex pleniore uirtutum remuneratione et uitorum castigatione post hanc uitam expectandis satis tuto colligens. Quamuis igitur uirtutes per se nobis sint experendae, hoc tamen non impedit, quo minus infinitis earum praemii, in altero aevo futuris, ad uitam nostram praesentem iisdem totam consecrandam incitemur. Quo perfectiores enim nos uirtutis exercitium hac in uita reddit; eo capaciores gradus praemiorum alterius uitae altioris euadimus.

Hæc paene sufficere possent ad motiuā actionum concilianda, quae honestum nobis suggerit atque utile. At conuenientiam harum rationum mouentium magis stabilire et paulo dilucidius explanare necesse erit, quum illa aduersariis maxime dubia arque incerta uideatur. Siquis actionem suscipit, interna eius honestate motus, illam se perficere cupit. Nouit enim per certam et indubitatam experientiam, comparatam cum hominis natura ratione praedita, quamlibet actionem honestam hoc consecutionibus suis efficere, ut ad felicitatem agentis tendat. Aequo certum est, actionem, quae ueram utilitatem nobis praestat, remedia uerae felicitatis nobis simul suppeditare. Nonne igitur motiuā utriusque actionis ad unum eundemque finem, utpote felicitatem hominis collineant? Quamuis enim actio honesta proxime nos reddat felices, quia perfectio omnium facultatum animi nostri naturalis

ralis ex illa praecipue penderet; actio tamen uere utilis nobis semper existit subsidium felicitatis nostrae facilius consequendae exopratum. Rem commode illustrat Principis exemplum, qui pacis studium amat, ut saluti cijum optime prospicere possit. Ad utrumque officium bene imperans obligatur, sed motiuis diuersis. Ciuium felicitatem tanquam suam aestimare atque amplificare honestum sibi iudicat. Ne uero haec calamitate belli disturbetur, emolumentis pacis commotus, ciues quoque ab hostibus securos praestare studet. Sic utilitatem sectatur propter honestatem, ac pacem colit, ut saluti publicae consulere possit. Vera igitur utilitas cum honestate nunquam pugnare potest, quia finis utriusque nostra est felicitas. At uero bene monet CICERO ^{aa)} multas saepe incidere caussas, quae animum nostrum utilitatis specie conturbent, ut deliberemus, num id, quod utile uideatur, fieri possit non turpiter, quod factis BRVTI atque ROMVLI illustrare cupit. Cum, ait, Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, id poterat uideri facere iniuste. Fuerat enim in regibus expellendis socius Brutii, consiliorum etiam adiutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognomen Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam: quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Hoc igitur BRVTI factum CICERO merito iudicat honestum, quia amore atque studio communis utilitatis erat suscepit. Statim uero illi opponit factum ROMVLI, quod ne speciem quidem honestatis induisse ostendit, dum speciem utilitatis tantum prae se tulerit. At, pergit, in eo rege, qui urbem condidit, non ita: Species enim utilitatis animum pepulit eius, cui cum uisum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile uidebatur, neque erat, asequi posset. Et tamen muri caussam opposuit, speciem honestatis neque probabilem neque satis idoneam. Tam subtiliter ac uere CICERO de motiuis utilitatis

^{aa)} de Offic. III. 12.



litis atque honestatis corumque conuenientia est philosophatus. Certissimum uero est, utilitatem, si uera sit nec specie fallat, simul cum honestate per unam eandemque actionem non modo spectari, sed et actu obtineri posse, quia motiuu utriusque iniucem minime pugnare constat.

SED omnino aduersarii repugnantiam inter utilitatem atque honestatem admittere coguntur, si actiones honestas PRINCIPIO PERFECTIONIS opponere uelint. Aut enim actiones per se honestae nobis uere utiles sunt, aut non. Si nulla uera utilitas ab illis expectari debet, per se honestae esse desinunt. Sin uere nobis prouent, ueram quoque perfectionem nobis concilient necesse est, quia sine hac ueram utilitatem uix cogitare licet. Quum uero actio honesta proxima felicitatis nostrae parens sit, neminem se perfidere posse, apparet, nisi honestati studeat. Consideres velim mentis culturam, qua homini nihil honestius esse potest. Num uero aliquis, illa neglecta, ueram animi aut corporis aut status externi perfectionem unquam adipiscitur? Hinc ARISTOTELES, praestantia actionum honestarum satis commendata, bene colligit, uirum bonum ac sapientem, quippe qui honestum sibi semper vindicet, non posse non seipsum amare, siquidem ex actionibus honestis non modo ipse uariam et amplam utilitatem percipiat, sed et per easdem alis prodesse soleat: πάντων δὲ inquit bb) ἀμελλωμένων τὰ καλλίστα πράγματα, κονὴ τὸν παντὶ εἴη τὰ δέοντα νοῆται οὐδέποτε τὰ μέγιστα τῶν σύγαθῶν, εἴπερ οὐ αἰρετὴ τοιδέ τὸν εἶνιν. Ωσε τὸν μὲν σύγαθὸν δέι φιλαυτον εἶναι, οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ὀνύστεται τὰ καλὰ πράγματα, οὐδὲ τὰς ἀλλαγές ὠφελήσει. Num uero uir sapiens atque bonus naturali sui amore ad honesta peragenda posset impelli, nisi perfectio hominis cum qualibet actione hone-

sta

bb) ad Nicomach. IX. 8.

sta induulso nexu cohaereret. PRINCIPIVM igitur PERFECTIONIS quemlibet officii commonescit, ut tanto maiore studio honesta sectetur, quanto perfectior fieri cupit. Hoc ipsi aduersarii fuissent largiti, neque dubitassent, quin actiones honestae ex hoc principio deduci possent, nisi studium perfectionis ad sola bona utilia, exclusis honestis, restringere voluissent. Tantum uero ab illo commendatio tam sordidae utilitatis abest, quantum a uera perfectione turpia distant. Quare sinistra aduersariorum iudicia nos ab assensione nunquam remorabuntur, quam principium omni iure meretur, quod b. WOLFIUS ad cuncta I. N. officia demonstranda tam bene exputauit, quam debita diligentia applicauit. Restat, ut paucis addam, quae hoc principium I. N. primum praeter reliqua ingenti numero inuenta omnibus bene philosophantibus commendare queat.

PRIMO nihil huic principio deest, quod ad certam ueritatem requiri possit. Num dubitare licet hominem posse aut debere seipsum perficere, quem constat uiribus a Deo instructum esse sufficientibus, bonum a malo discernendi, et secundum hanc cognitionem bonum appetendi, malum uero auersandi. Potest igitur homo rationi sanae obtemperans suae perfectioni omnino inseruire, ea sectando, quae ipsi prosunt, ac fugiendo, quae sibi nocitura intelligit. Haec uero diuina uirium concessio simul hominem grauiter obstringit ad facienda felicitati suae consentanea, et omitenda, quae illam impedire queant. Quapropter omnis, qui huic naturali obligationi satisfacere cupit, etiam debet secundum PERFECTIONIS PRINCIPIVM agere. Saepius quidem accedit, ut homo, neglecta accurata rerum consideratione, apparente boni malive specie decipiatur, nihil tamen appetit, nisi sub ratione boni, nec aliquid auersatur, nisi sub ratione mali. Hanc legem appetitus, quam homo semper obseruat, generalem PHAE DRVS et eleganti fabula illustrat, quam de electione arborum in-

E

tute-

c) L. III. Fab. XVII.



tutelam Deorum confecit. Iouem in ea narrat querum, Venerem myrrum, Apollinem lauream, Cybeben pinum, Herculem denique populum celsam sua tutela fuisse dignatum, sed Mineruam hanc steriliarum arborum optionem improbassem, atque dixisse, oliuam propter fructus sibi esse gratiorem, cui tandem suffragatum Iouem exclamasse :

O nata, merito sapiens dicere omnibus

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.

Posita igitur ratione agendi omnibus hominibus communi, quae ad amorem boni et fugam mali unice dirigitur, ponitur ipsum **PERFECTIONIS PRINCIPIVM** certum, quo nihil conuenientius naturae hominis reperitur.

SI QVID etiam est euidens, de quo inter omnes conueniat, ne iis quidem exceptis, qui praeter notiones communes a natura acceptas nihil artis atque scientiae intelligunt, perfectionis studium nominare debes. Hoc enim pertinet ad *prima naturae monitas* atque *inuitamenta*, quae CICERO de Finibus Bonorum et Malorum disserens, dd) cum sapientibus veterum *naturalem hominis appetitionem* uocat, se ipsum *conseruandi*, siuimque *animum et corpus omnesque eius partes diligendi*, ut *optime secundum naturam affectus esse possit*. Quid uero his *primis a natura datis* proprius ad perfectionis studium potest accedere? Si enim homo natura praeente se totum amare atque seruare debeat, qualem esse oportet, acer- rimos perfectionis suae igniculos ab eadem natura accepit. Tan- ta igitur ipsius praecepti euidentia **PRINCIPIVM PERFECTIONIS** gaudet, ut quilibet etiam indoctus ac subtiliori philosophiae non adfuerit, illud perspicere, ac modo auditum concedere possit. **Hinc ipsi Hottentottae tam lingua et natione, quam natura et mori-**

*dd) Loca CICERONIS diligenter colle-
git b. WALTHERVS Progr. de Pri-*

*mis Naturae Iuris Naturalis sonib[us]
Visemb. 1750.*

moribus barbari, teste KOLBIO, ee) hoc *agendi principium* sequuntur. Rogati enim de religione, respondent, nihil scimus, nisi bona facienda, mala fugienda. En! regulam Iuris Naturae generalis omnium sine discrimine hominum animis impressam: **PERFICE TE TVVMQVE STATVM.** Quam inanem igitur aduersarii nauant operam, ut hoc principium officiorum euidentissimum obscuritatis accusent? Quamvis enim ideam perfectionis uulgus non tam distincta ac plena ratione comprehendere possit, quam eruditus; rem tamen ipsa natura eum docuit, ut nimirum sibi aliisque utilia quaerat, noxia uero cane peius atque angue fugiat.

Si porro consideramus actiones, quasunque lex naturae uel nobis praecipiat, uel interdicat, ratio, cur nobis bonae sunt committendae, malae contra omittendae, ex **PRINCIPIO PERFECTIONIS** prono alueo fluit. Actio enim quaevis aut nobis ad perfectionem nostram prodest, aut felicitatem nostram destruit, ac nos imperfectiores reddit. Si effectus prior actionem sequitur, bona dicitur illa, quia omne id homini bonum est, quod illum perficit. Sin mutationem posteriorem actio producit, mala uocatur illa, quia malum hominis conditionem deteriorem reddit. Homo igitur actionum haec consectaria cum studio perfectionis suae compones, non potest non actiones bonas lege naturae imperatas eligere, ac malas eadem lege prohibitas auersari. Tam late patet **PRINCIVM PERFECTIONIS**, ut omnes actiones, quae naturalem obligationem sustinent, ex illo sine coacta demonstratione deduci possint. Quodsi actiones *indifferentes*, per se neque bonas neque malas, excipere uelles, magnopere errares, propterea quod actiones eiusmodi *in abstracto* quidem et *generaliter* consideratae, nunquam uero *in concreto* et *casibus singularibus* existunt, ubi actio quaelibet per circumstantias accedentes semper uel ad perfectionem, uel ad imperfectionem nostram convertitur. Quemadmodum igitur inter consensum atque dissen-

ee) In der Beschreibung des Vorgelüges der guten Hoffnung, p. 410.

◆ ◆ ◆

sum non est medium quoddam; ita etiam genus aliquod tertium inter bonas et malas actiones non reperitur, quod nimur nos neque perficere, neque imperfectiores efficere possit. Quum uero omnes actiones bonae in uno fine, nostra scilicet perfectione conueniant, ac contra prauae actiones uniuersae huic fini aduentur, quilibet ex PRINCIPIO PERFECTIONIS, quaenam actio legibus naturae consentanea, ideoque sectanda sit, nec ne, satis superque cognoscere potest.

PRAETER hanc sufficientiam autoritas tandem diuina singularem PRINCIPIO Iuris Naturae WOLFIANO commendationem efficit. Nouimus quidem ex antecedentibus §§. PRINCIPIVM PERFECTIONIS iam communii Stoicorum sapientum praecepto, ut homo secundum naturam uiuat, fuisse frequentatum, siquidem illi, teste CICERONE, §§) omnem boni malique rationem ab eo deriuarunt, quod naturae aptum sit atque accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur; dummodo sibi a Dei cum natura confusione prudentius cauissent. At uero nullus affirmare dubito, hoc principium omni humana sapientia esse antiquius, propterea quod ipsa uox Dei est, non modo rationi omnium hominum inscripta, sed et reuelatione propiore nobis grauiter inculcata. Iubet enim nos ipse Seruator sanctissimus perfectionis nostrae esse studiosos, ut exemplum patris nostri coelestis, in amore praesertim erga omnes, imitemur. Legati eius diuino agitati spiritu TEAEIOTHITA semel atque iterum et saepius nobis commendant. Haec diuina perfectionis nostrae approbatio et inculcatio certe principium officiorum, quod a perfectionis nostrae studio repetitur, singulari robore atque autoritate communit. Lubens quidem largior, perfectionem, ad quam mysteria religionis nostrae sanctissimae nos ducunt, esse longe sublimiorem omni perfectione naturali, ac neminem, quantocunque studio hanc sibi parare laboret, illius fieri

ff) de Fin. Bon. et Mal. V. 13.

fieri participem. Quis uero ideo perfectionis studium, ad quod homo natura impellitur, uituperabit, utpote quod nemo sine criminis summae temeritatis, stultitiae atque negligentiae, immo sine maximo ingratii animi erga benignissimum creatorem opprobrio omittere queat? Hinc ipsarum gentium sacerdotes sacra sua populo a laude perfectionis commendarunt. Quo argumento so c r a t e s , unus omnium sapientissimus a Diis hominibusque iudicatus, commonebatur, ut mysteriis Graecorum, quae eandem ob causam TEAETAI vocabantur, se initiari pateretur. gg) Quo autem aptiora sunt Christi mysteria ad nos perficiendos; eo sanctius imperatum eius nobis esse debet, ut omnibus viribus ad nostram perfectionem contendamus. Si enim haec nobis semper fuerit proposita, officiis quoque erga Deum, nos et alios, ipso rationis lumine cognitis, omnem nauabimus operam, propterea quod fons eorum primus atque generalis, uel diuinis spiritus sancti suffragiis, nostrae est perfectionis amor.

HAEC pauca nunc sufficient ad PRINCIPIVM PÆFECTIO-
NIS omnibus commendandum, qui sine partium studio veritatem amant atque profitentur. Horum enim iudicio lubens sub-
mitto omnia, quae huius principii I. N. primi ab utilitatis specie
uindicandi gratia in medium protuli. Si rationes allatae superio-
res aduersariorum telis putabuntur, manifestae huius principii
ueritati hoc robur acceptum referatur. Merito autem mihi vide-
or in primum disciplinae fontem inquisitiisse, cuius publice in hac
Musarum sede docenda prouincia indulgentissime mihi demandata fuit. Summa enim pietate atque mentis deuotione ueneror
cineres POTENTISSIMI quondam SARMATARVM REGIS
SERENISSIMIQUE SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS
FRIDERICI AVGUSTI, cuius gratia munificentissima in
locum atque dignitatem b. Wüstemanni Professoris Iuris Natu-

E 3

rae

gg) v. MEYRSII Eleusinia c. III.



rae atque Gentium Publici suffectus sum. Nolo autem duplex
 uulnus grauissimum obitu huius MAXIMI REGIS ac MITISSI-
 MI PRINCIPIS, maturiusque secuto ex hac uita discessu FILII
 EIVS summae expectationis FRIDERICI CHRISTIANI,
 PRINCIPIS ELECTORIS NOSTRI CARISSIMI, nostrae in-
 primis literarum sedi impositum refricare. Mearum potius es-
 se partium duco, ut Deo praepotenti uitam atque salutem super-
 stitis ELECTORIS NOSTRI CLEMENTISSIMI FRIDERICI
AVGVSTI III MATRIS EIVS GELSISSIMAE ac TVTO-
 RIS EIVS SERENISSIMI XAVERII uniuersae Saxonum re-
 gionis ADMINISTRATORIS BENIGNISSIMI et totius RE-
 GIO - ELECTORALIS FAMILIAE AVGVSTA florem sem-
 piternum sanctissimis uotis ac precibus commendem. Cuius re-
 ligiosissimae pietatis summa oratione complectar, quam *de Systemate*,
 quod uocant, *Conuenientiae* proximo die Martis, Deo
 fortunante, in gratiam muneris liberalissime mihi concreti, more
 recepto sum habiturus. Ut igitur hunc actum solemnam RE-
 CTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, Patres Conscripti Gra-
 uissimi, Fautores reliqui literarum suo quisque loco graduque ho-
 norandi, ut et Generosissimi ac Nobilissimi in hac Alma Musa-
 rum alumni honorifica atque beneuola praeſentia sua ex-
 ornare uelint, omni, qua decet, obſeruantia et huma-
 nitate oro rogoque.

P. P. Vitembergæ Dom. Exaudi A. R. S. c. CCLXIV.

Errata.

Pag. V. nunquam lin. 7. leg. unquam.

Pag. XIV. puteat lin. 15. leg. putat.

ULB Halle
003 770 109

3



S6



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres



Pr. g. 2. num. 3.
1764

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALL

PRINCIPIVM PERFECTIONIS

AB

V TILITATIS SPECIE

V INDICAT

S IMVLQVE

O R A T I O N E M S O L E M N E M

M VNERIS PROFESSORIS IVRIS NATVRAE
ATQVE GENTIVM IN ACADEMIA VITEMBER
GENSI PVBLICI MVNIFICENTISSIME SIBI
DEMANDATI GRATIA.

DIE V. IVNI CICICCLXIV

HABENDAM

INDICIT

IOANNES AEGIDIUS STRAVCH
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORDIN.

ET H. T. DECANVS

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS